



Wa. 98.







AD

JOH. BRUNNEMANNI, JC.

quondam Confiliar. Elect. Brandenb. & Facultatis
Juridicæ in Universitate Francofurtana

ORDINARI

**PROCESSUM
CONCURSUS
CREDITORUM
ANNOTATIONES**

EX
**ORDINATIONE REGIA BORUSSICA
DE HYPOTHECIS ET CONCURSU**

NEC NON

EX

**ORDINATIONE PROCESSUALI
SAXONICO-ELECTORALI
ILLUSTRATA ET DECLARATA
CONGESTÆ.**

FRANCOFURTI ad VIADRUM,
apud JOH. GODOFREDUM CONRADI, 1736.



AD CAPUT I.

§. 1. *Dilationem moratorium.*

Quid observandum sit, si debitor vel a principe indulatum moratorium petat, vel cum creditoribus transfigat, definit *Ord. Reg. Boruss. de Hyp. & Conc. §. 76-82.*

§. 3. *Debitor ipse instabit.*

Debitor facultatum suarum defectum animadvertisens intra bimestre indicare judicio tenetur, designatis universis bonis suis, indicatisque causis, ob quas ad beneficium cessionis admitti contendit. Cui tunc etiam incumbit profiteri nomina creditorum suorum omnium, iisque & cessionem bonorum, & productionem librorum ac documentorum offerre, petita eorundem citatione. Creditores citantur sub comminatione, non comparentes, si eos debitor creditores suos esse probaverit, pro consentientibus in cessionem habitum iri. A Beneficio cessionis

excluduntur, qui ex productis libris dolose cum creditoribus egisse convincuntur, vel damnum incendio, inundatione, naufragio, rapina acceptum, vel ex fidejussione & ipsius debitoris debitoribus redundans non satis demonstrarunt, vel a creditoribus ob alias legitimas causas arcentur. In primis a cessione bonorum prohibentur 1) subditi in præfationibus domino debitibus negligentes, 2) decoctores, 3) heredes vel tutores, qui inventarium confidere neglexerunt, 4) si creditor æque ac debitor egeat, 5) condemnati ex delicto, 6) qui animo bona cedendi, vel 7) eo tempore, quo ad solvendum se non sufficere intellexerunt, debita contraxerunt, denique 8) debitores ex cambio. *Ibidem* §. 85. *sqq.*

§. 3. *juramento confirmandam.*

Cujus formulam præscribit *O. Reg. Boruss. de Hyp. & Conc.* §. 89.

§. eod. *ipse instabit.*

Si debitor obæratus obierit, heredes vero se abstinent confessio legitime inventario, vel si magistratus, nomine herede existente, bonorum insufficientiam ex specificatione ex officio consignata deprehendat, absque cognitione prævia excitatur concursus, & causis, ob quas concursui locus datus sit, per registraturam ad acta relatis, idem in citatione creditorum ad liquidandum indicatur. Ira & creditores debitoris fugitivi simul in ejusdem citatione convocantur, & hoc modo excitato concursu citantur. *Ibidem* §. 96. 97.

§. 8. *Moto concursu hic in Marchia.*

Quod etiam patet ex Ord. Reg. Boruss. de Hyp. & Conc.
§. 94. §. 10.

§. 10. Si debitor ipse hoc nolit.

Debitorem etiam per mandatarium respondere posse,
disponit *Ord. Proc. Sax. recognit. Tit. XLI. §. 4.*

§. eod. Alius à contradictore.

Eundem utrumque officium sustinere posse statuit
Ord. Reg. Boruss. de Hyp. & Concurſu §. 99.

§. II. in potestate creditorum.

In Saxonia eum constituit & jurejurando obligat ju-
dex ex officio. *Ord. Proc. recognit. Tit. XLI. §. 1.*

§. eod. Tenetur vero hic.

Ut curatoris bonorum officia complectamur, tenetur
ille judici stipulata manu promittere, se debita rite exactu-
rum, venditurumque bona, & in perceptione fructuum,
ipsiusque litis promotione sedulo & fideliter omnia cura-
turum. Constitutio autem ejus &que ac re peracta abso-
lutio in libris ad annotandas hypothecas comparatis con-
signanda. Altero statim die, postquam de fide sua promis-
sum dedit, curabit, ut sibi bona debitoris, ipso emissō, se-
cundum specificationem tradantur. Dabit etiam operam,
ut bona debitoris defuncti vel fugitivi in fraudem credi-
torum subtracta arresto affiantur, omnibusque jurisdictio-
ni illi subjectis per publicum proclama injungatur, ut bona
omnia debitoris, si quæ teneant quoquinque nomine intra
mensem judicio indicent, nec ulli, nisi id fiat iussu judicis,
quicquam tradant. Idem Curator uxorem, heredes & fa-
miliam debitoris fugitivi jurejurando obstringet, se bona,
rationes, libros &c. bona fide indicasse, nihilque amovisse,

mmo quæcunque sibi datum fuerit resciscere indicatuos. Porro debita exiget, & de iis singulis mensibus rationes reddet. Elapsis in citatione creditorum præfixis IV. septimanis, si nemo quicquam ex mobilibus jure dominii repeatat, auctionem rite promulgatajn instituet, immobilia & pretiosa sub hasta divendet. Incumbit ei pariter onera ratione immobilium solvere, damnosaque, consultis quibusdam creditorum, reparare. Publicata sententia prioritatis rationes accepti & expensi intra XIV. dies judicio exhibebit, easque præfixo termino justificabit. Peracta re in appellationis instantia curator creditores, quibus satisfieri non potuit, citari curabit, ut debita nondum soluta & mobilia, quæ emtorem non repererunt, in solutum accipiant. Denique curatori Apochæ dandæ, & ut res acta est Protocollo Actis adjiciendo, consignandum. Ita vero præcipit Ordin. Reg. Boruss. §. 101. usque ad 112. Et §. 210. usque ad 214.

AD CAP. II.

§. 2. *An Edictalis citatio.*

Creditores, quorum nomina in libro ad hypothecas consignandas comparato annotata sunt, vel ex Inventario præsentes innotuerunt, ut & ecclesiæ ac scholæ ad domum citantur, extranei vero, quorum domicilia non ignorantur, per subsidiales, reliqui per edictalem citationem. Præsentes insinuationem subnotatione ad literas patentes profitentur, circa extraneos vero curatori incumbit insinuationis nomine attestatum a Magistratu loci petere. Ord. Reg. Bor. de Hyp. Et Conc. §. 113. In Saxonia creditores noti & ignoti edictaliter sub pœna præclusi citantur. Ord. Proc. recogn. Tit. XLI. §. 2.

§. 3.

§. 3. Unam citationem posse.

Ita & una sufficit in terris Brandenburgicis, quæ tamen spatium XII. septimanarum complectitur. *Ord. Reg. Boruss. de Hyp. & Cone. §. no.* In Saxonia regulariter duo, si vero concursus sit super feudis nobilium, aut de mercatoribus, tria spatia Saxonica concedi solent. *Ord. Proc. recogn. Tit. XLI. §. 2.*

§. 10. Solet vero citatio.

Citatio Edictalis in loco, ubi concursus excitatus, aliisque duobus diversarum jurisdictionum affigenda, nisi forte creditoris negotiavel ipse concursus exigui momenti, quo casu sufficit eam in loco judicii & alio quodam vicino affixisse. Contra si debitor insigniorem mercaturam fecerit, vel alias nominum multitudo, absentiaque & distantia creditorum id flagitare videantur, affigitur in trium dominorum territoriis, in emporiis præsertim, aliisque locis, quo facilius ad creditorum notitiam pervenire possit, subnotatis diebus, quibus affixa refixaque, confectaque defupper ab extraneis registratura, quam procurare curatoris bonorum est officium. *Ord. Reg. Boruss. de Hyp. & Cone. §. 214. seq.*

AD CAP. III.**§. 2. Et jubere ut in proximo.**

In Saxonia Edictali citationi inferitur clausula, ut creditores a loco judicii absentes procuratorem, cui reliquæ citationes insinuari possent, constituant. *Ord. Recogn. Tit. XLI. §. 2.*

§. II.

§. 11. In fine primi termini.

Si quis creditorum intra XII. septimanas in comminatione citationis expressas ad concursum rite non accesserit, Acta ipso jure pro conclusis habentur, nec quisquam postea usque ad sententiam ad liquidandum admittitur. Idem tenendum de iis, qui nomen quidem professi, in praefixo tamen termino non comparuerunt. *Ord. Reg. Boruss. de Hyp. & Conc.* §. 216. In Saxonia is, qui intra spacia praefixa non comparuit, absque sententia comminatoria pro precluso habetur, nec ad concursum admittitur, nisi quod illi, quibus restitutio in integrum competit, audiatur, donec sententia de prioritate in rem abiit judicata. Hoc etiam termino elapso opus est, ut contra Tutores suos, Administratores &c. experiantur. *Ord. Proc. Recogn. Tit. XLI. §. 2.*

§. 12. poterit reconventio.

In Saxonia debitor, licet etiam non satis liquidum sit nomen, ad reconventionem alegari nequit, licet ad evitandam confusionem Acta separatim consignentur. *Ord. Proc. recogn. Tit. XLI. §. 4.*

§. 13. Sed sibi delatum praestare.

Curatori Litis deferri non posse juramentum statuit. *Ord. Proc. Sax. Recogn. Tit. XLI. §. 4.*

§. eod. qui semiplene probaverit.

In Saxonia etiam post aliqualem demonstrationem creditores admittuntur ad jurandum; contra vero si probato nomine aliqua suspicio emergat, juramentum ipsis deferri

deferri potest, an idem adhuc sit integrum, nihilque quo-
uis modo deductum *Ord. recogn. Tit. XLI. §. 4.* Ita & propter
eiusmodi suspicionem creditorem cuius interest creditoris
jusjurandum deferre posse, & hunc prævio deferentis ju-
ramento calumniæ ad relationem vel defensionem con-
scientia per probationem teneri statuit. *Ord. Reg. Boruss.
de Hyp. & Conc. §. 121.*

§. 14. ea facile non est dando.

Omnem dilationem omneque compromisum prohibet
O. Proc. Sax. recogn. Tit. XLI. §. 3.

§. 15. conditionaliter ferri.

Quodsi sicutur creditori sententia prioritatis injuncta sit
melior probatio vel jurisjurandi præstatio, si non appella-
verint, intra IV. septimanas probationem instituere, vel
terminum ad jurandum patere, & curatorem ad videndum
jurare citari curare tenetur. *Ord. Reg. Boruss. de Hyp. &
Conc. §. 208.*

AD CAP. V.

§. 1. concipitur autem sententia.

Transmissionis sumtus a petente erogandos esse vult.
Ord. Reg. Boruss. de Hyp. & Conc. §. 124.

§. 2. quod creditores qui non.

Idem statuit. *Ord. Reg. Boruss. de Hypoth. & Conc. §. 125.*

§. 5. prima clasfis est eorum.

In prima classe *Ord. Reg. Boruss. de Hyp. & Conc.* sequen-
tem ordinem servat. Præcedunt illi, qui dominii jure rem
b suam

suam repetunt, ut sunt illi, qui deposuerunt vel commodarunt, vel rem vendendam commiserunt. Liberorum bona adventitia, & in bello vel alias acquisita. Bona, quæ debitor sub conditione paratae solutionis emit, nec premium solvit. Bona, quæ quis obærato & intra 3. vel 4. dies auffugienti bona fide vendidit. Pignora si fors cum usuris offeratur. Socii, quorum pars creditoribus non obligata. Uxor in illatis dote, paraphernalibus & receptitiis. Qui sibi dominium in re vendita ob pretii partem non solutam reservarunt. Fiscus ejusque cessionarius ratione bonorum caducorum aliarumque præstationum. Qui hypothecam in prædio naæti sunt, antequam illud ad debitorem pervenit. Sumtus funeris. Medicamenta. Mercedes famulorum. Onera publica & præstationes subditorum Annui redditus. Pecunia hereditaria cum reservatione juris in re debitæ. Atque hi non veniunt in tributum, sed se invicem excipiunt. Inter æque privilegiatos præcedit antiquior. §. 132. - - 152. In Saxoniæ Electoratu hunc ordinem servant: 1) Sumtus in totius concursus commodum erogati. 2) Quicquid ad contributiones prædandas tempore invasionis hostium, aut ad fementum in annonæ caritate creditum. 3) Sumtus funeris. 4) Medicamenta. 5) Mercedes famulorum. 6) debita prædio inherentia, antequam illud a debitore acquisitum. 7) residuum pretii emtionis & pecunia hereditaria, si dominium vel hypotheca judicialiter reservata. Denique 8) onera realia. *Ord. Proc. Sax. Rec. Tit. XLII.* De singulis jam ordine videamus.

§. eod. qui jus dominii habent.

Ita & *Ord. Reg. Boruss. de Hyp. & Conc.* ubi simul ii, qui jure dominii res suas repetant, enumerantur. §. 132. In Saxonia

Saxonia qui ejusmodi res repetunt, inter creditores non referuntur, ipsaeque res exstantes a massa concursus separantur. *Ord. Proc. Sax. Tit. XLII. pr.*

§. 6. in re dotali extante.

Ita & *Ord. Reg. Boruss. de Hyp. & Conc.* hoc refert res dotales, paraphernales & receptitias adhuc extantes, & si dos ea lege data, ut ad comparandam rem immobilem impendatur, eamque impensam ita esse probari posit. Item quicquid in Morgengabam datum extat. *§. 132.*

§. 7. dominium sibi reservavit.

Modo curaverit, ut id in das Land-oder Hypotheken-Buch consignetur. Quodsi etiam ultra præfixum diem sorte frui concedat emtori, usurasque percipiat, locum inter Hypothecas judiciales habita temporis ratione inventet. *Ord. Reg. Boruss. de Hyp. & Conc. §. 133. sq.* Quid in Saxonia in bonis feudalibus & allodialibus observandum, vid. *Ord. Proc. Sax. rec. Tit. XLII. §. 7.*

§. 8. Liberi etiam præferendi.

Vid. Ord. Reg. Boruss. de Hyp. & Conc. §. 132.

§. 9. Coheres socius præfertur.

Ita & Ord. Reg. Bor. de Hyp. & Conc. §. 132.

§. 10. & 11. Principi & fisco.

Fisco & ejus cessionariis idem jus concedit. *Ord. Reg. Boruss. de Hyp. & Conc.* in bonis caducis, aliquaque, ut sunt Contributions-Reste, Chatoul-Holz-Münz-Schoß-auch Noß-Dienste-Gelder, vel Canon, qui eorum loco constitutus est. In primis hoc referuntur Pacht-Gelder und Domai-

Domainen-Pensionen, von den Salz-Gütern und andern, und was Cassen-Administratores, und die, so Gelde einnehmen, schuldig bleiben. §. 15.

§. 13. Si hypothecam consecutus.

Atque idem statuitur. *Ord. Reg. Boruss. de Hyp. & Conc.* sive hypotheca sit tacita sive expressa, ita ut hoc beneficium separationis præscriptione nulla perimitur. §. 136.

§. 14. ex æquo & bono.

In *Ord. Reg. Boruss.* sumtuum modus statuitur, ita ut de funere Nobilis, vel hominis civici ordinis in digniore tamen officio constituti 50. thaleri, inferioris vero officiū civis 30. & denique vulgaris conditionis 10. solvantur, nulla defuncti dispositione augendi. Qui plus erogavit ratione ejus quod summam legitimam excedit, inter Chirographearios refertur. §. 138. seq.

ibid. in convivium.

Huc referuntur etiam parentationes, conciones funebres & lapides sepulchrales per. *Ord. Reg. Boruss. de Hyp. & Conc. 138.*

§. eod. sed talis persona.

Per *Ord. Reg. Boruss.* ratio habetur solius debitoris funeris. §. 137.

§. 16. in domo vel convictu.

Quod etiam servant. *Ord. Reg. Boruss.* §. 142. & *Ord. Proc. Sax. recogn. Tit. XLII.* §. 4. Ceterum tali privilegio gaudet merces famulorum in terris Brandenburgicis biennii, triennii vero in Electoratu Saxonie.

§. eod.

§. eod. fidem habuisse videtur.

Hinc est, quod cum illis, qui extra convictum constituti sunt aut mercedem ultra biennium petant, locus inter Chirographarios assignetur, ii excipientur, qui simul ac famulitio abierunt, dominum mercedis nomine converunt. *Ord. Reg. Boruss. de Hyp. & Conc.* §. 142.

§. eod. procuratores fundorum.

Hos aliosque hoc refert. *Ord. Reg. Boruss.* his verbis: die Meyer, Hoffmeister und deren Weiber, auf dem Lande die Gärtner, Weinmeister und deren Gesellen, ingleichen in den Städten die Buchhalter, Provisores und andere Gesellen. Item Handwerks-Leute und Tagelöhner, modo illi in ædibus certa mercede conducti operas præstiterint. §. 141.

§. eod. pædagogi.

Imo & professores ac præceptores in Academiis & scholis, iique qui Calligraphiam, Arithmeticam, Mathesin & artem castrametandi (Ingenieur-Kunst) docuerunt. *ibid.* §. 143.

§. eod. ædibus degenti.

Eodem jure utuntur, qui demensum aliquod (ein gewisses Deputat) mercedis loco accipiunt, adde Pfleger-Lohn, vorgeschoßene Lüssaat, und Weyde-Pacht. *ibid.* §. 144. sq.

§. 18. sequuntur hic Canones.

Modo non ultra triennium debeantur. Quod enim hoc spatium excedit, in classem Chirographariorum rejicitur, ita ut si deillo satisfieri nequeat, ipsi Administratores

teneantur, & si illi etiam ad solvendum inidonei sint, tunc superiores, quibus rationes reddendæ fuerunt, obligentur. Cæterum hæc prærogativa ejusmodi canonibus, pensionibus &c. etiam ultra triennium debitis conceditur, si assidua de iis interpellatio, & imploratio auxilii judicis vel ex actis vel alias in contingenzi probari posit. *Ord. Reg. Boruss. de Hyp. & Conc.* §. 141. In Saxonia obtinet hoc loco quinquennium, nec de antiquioribus receptores ad liquidandum in concursu admittuntur. *O. P. S. recogn.* Tit. XLII. §. 8.

§. 19. und gehen in tributum.

Si nempe illi præstationes ejusmodi ita cumulari passi sunt, ut debitoris bona ad omnibus satisfaciendum non sufficient. *O. Reg. Bor.* §. 149.

§. eod. Frohn-Geld, Gefälle.

Adde his ex *O. Reg. Boruss. de Hyp. & Conc.* Saamen und Brodt-Korn, auch was der Orten, da es erhoben wird, an Landshäftlichen Accise gezahlet wird. §. 146. Quæ in hoc & antecedent. §§. continentur ita referuntur ab. *Ord. Proc. Sax. recogn.* Die auf denen Grundstücken haftende und andere Onera, Schöß, Steuer, Contribution, Defension und Militz-Gelder, Item Decem, Opffer-Pfennige, Wächter-Zins, Erb-Zins, Hufen-Gelder, Wach-Geld, Lehn-Waare, quæ omnia absque discrimine solvuntur pro rata. Cæterum & in his ea, quæ de triennio & quinquennio supra observavimus, locum habent. vid. *alleg. Ord. Tit. XLII. §. 8.*

§. 20. sequuntur annui.

Redimibiles nimirum, secundum. *Ord. Reg. Boruss. de Hyp.*

Hyp. & Conc. §. 150. In Electoratu Saxoniae anni redditus nullum jus reale nanciscuntur nisi judicialiter constituti, nec jure prioritatis gaudent, sed ratione fortis æque ac reddituum, & quod hos attinet, ii tantum, qui de tribus ante motum concursum annis debentur, inter Hypothecarios habito temporis respectu collocantur. De antiquioribus obnoxii manent Administratores. *Tit. XLII. §. 8.*

§. 21. *prædia* debet.

Non ob bona mobilia. Horum enim nomine concurrunt ejusmodi heredes cum iis, qui tacita hypotheca gaudent. Prærogativa vero gaudent pecuniaæ hereditariae etiamsi ad tertium pervenerint. *Ord. Reg. Boruss. de Hyp. & Conc.* §. 151. In Saxonia requiritur reservatio hypothecæ vel dominii judicialis. *O. Proc. recogn.* *Tit. XLII. §. 7.*

§. 26. Sequitur jam.

Hoc loco secundum *Ord. Reg. Boruss. de Hyp. & Conc.* clasfis secundæ est principium, atque ii præcedunt, qui ad apparatum militarem, vel ad studia prosequenda pecuniam crediderunt. In eadem classe locum inveniunt uxori ratione dotis illatæ, paraphernalium & dotalitii, qui ad refectionem ædium vel navis crediderunt; pupilli, ecclesiæ, milites, quorum pecunia res immobiles emtæ sunt, & denique, qui ad emendum reservata sibi hypotheca crediderunt. Atque illi inter se ita collocantur, ut prior tempore potior sit jure. Quid autem de singulis observandum fit, ordine videbimus. *v. Ord. Reg. Boruss.* §. 153.

--- 170. In Saxonia aliter se res habet, iisque, qui præter hypothecam privilegio personali gaudebant, nulla prioritatis ratione prærogativa conceditur. Hinc mulieri

ratione

ratione dotis, fisco contrahenti, iisque, qui ad refectionem vel emtionem ædium crediderunt, nullum jus prælationis tribuitur, sed constituta ipsis hypotheca judiciali inter reliquos creditores hypothecarios habita temporis ratione referuntur. *Tit. XLIII. Ord. Proc. recogn.*

§. 27. sequitur dos illata.

Conf. Ord. Reg. Boruss. de Hyp. & Conc. §. 153. sqq.

§. 30. quod uxor non fruatur.

Ita & hanc prærogativam denegat uxori mariti sociæ, quæ cum eo communem negotiationem in suum commodum exercuit. *Ord. Reg. Boruss. §. 161.*

§. 31. Nec fruetur privilegio.

Idem statuit. *Ord. Reg. Boruss. §. 162. conf. Edict. de doctoribus §. 14.*

§. 32. Nec competit privilegium.

Illatio dotis, non etiam in rem meriti versio probanda, & quidem Apocha mariti, duorum testium omni exceptione majorum subscriptione munita. Admittitur etiam ad suppletorium uxor, si uno teste illationem probaverit, vel si maritus ab alio quam ab uxore & ejus parentibus dotem acceperit, eique Apocham dederit, vel si præsumptiones concurrant e. g. Si uxor probet tempore contracti matrimonii maritum creditoribus obstrictum fuisse, quibus mox post nuptias solverit, cum tamen facultates ejus tunc ita auctæ non fuerint, ut ex illis solutio fieri potuerit. His casibus etiam uxorius liberi ad jurandum in supplementum de credulitate admittuntur. *Ord. Reg. Boruss. §. 155. sq.*

§. 33.

§. 33. bonis paraphernalibus.

In terris Brandenburgicis bona paraphernalia illata cum dotalibus ratione prærogativæ æquali jure utuntur, a tempore illationis. Quomodo autem dos a paraphernalibus ratione quantitatis, si de ea non constet, distingvenda sit, vid. *ibidem* §. 157.

§. 34. de dotalitio.

De eo disponit. *Ord. Reg. Boruss.* his verbis: Gleiches Vorrecht haben auch die Ehe-Frauen wegen der an statt des Ehe-Geldes, beständig verschriebenen jährlichen Leib-Zinsen oder rechtmaßigen Leib-Gedinge, zu geniessen. *ibidem* §. 154.

§. 35. Sed liberos tantum.

Liberi prioris etiam Matrimonii creditoribus aliis ac uxori secundæ ejusque liberis præferuntur. *ibidem* §. 160.

§. eod. nec cedi posse hoc.

Si tamen cesit jus hypothecæ, cessionario locus competens assignandus erit. *ibidem* §. 164.

§. 39. Creditor qui ad refectionem.

Ita & *Ord. Reg. Boruss.* omnibus creditoribus tempore prioribus & judiciali Hypotheca gaudentibus præfert eum, qui ad refectionem & conservationem ædium, navis, aliasque boni immobilis, vel qui ad ædificationem novæ vel reparationem ruinose domus navisque materiam, e. g.

c

lapides

lapides, tigna &c. credidit. Nec minus eadem prærogativa fruuntur opificum mercedes, si ædificia vel naves, in quibus struendis operas suas locarunt, extent & alicujus usus sint. Probationis gratia curabit ejusmodi creditor, ut præsente debitore personæ quædam ex judicio refectionem ipsam inspiciant, hæque desuper attestatum vel Chirographo subjiciant, vel alias concedant. *Ord. Reg. Boruss.* §. 165. *seqq.*

§. 40. res emta obligata sit.

Ita & *Ord. Reg. Boruss.* requiritur, ut qui ad emtionem domus vel prædiū pecuniam mutuo dedit, in hac Classe collocetur, modo sibi in re emta hypothecam vel domini feudi consensu munitam, vel in librum Hypothecarium consignatam constitui curaverit. §. 169.

§. 42. Sunt tamen personæ.

Idem pupillorum, minorum, militum, & ecclesiistarum privilegium vid. *Ord. Reg. Boruss. de Hyp. & Conc.* §. 168.

§. 43. Judicialis hypotheca.

Quid ad hanc requiratur, præcipit. *Ord. Reg. Boruss. de Hyp. & Conc.* §. 5.

§. 44. etiam in mobilibus.

Ord. Reg. Boruss. sancit, ut is, cui pignus mobile traditum est, sive id judicialiter factum sive extrajudicialiter, in eo creditoribus omnibus præferatur. §. 176. Ita quoque statuit. *Ord. Proc. SAX. reg. Tit. XLIV.* §. 2.

§. 45.

§. 45. cum subscriptione.

Ob hypothecam extrajudicialem duorum vel trium testium subscriptione munitam, creditor chirographarius non præfertur per. *Ord. Proc. Sax. Tit. XLVI. §. 1.*

§. 47. Demum si bona alicujus.

De hac prærogativa conf. *Ord. Reg. Boruss. §. 192.* quæ etiam extenditur ad eos, qui fugitivum debitorem ipsum inquisiverunt, & arresto retineri curaverunt.

§. 48. In classe tertia collocantur.

Ita & in hanc Classem referuntur per *Ord. Reg. Boruss.* qui Hypothecam expressam censenu domini feudi munitionem vel in Hypothecarum codicem consignatam nocti sunt, vel quibus jura tacitam tribuunt, ita tamen, ut publicæ omnibus reliquis præferantur, ipsæ inter se temporis ratione habita collocentur, fisco in bonis fidejussionum ad easdem relato, & denique tacitæ subsequantur. §. 171. seqq. In Saxonia cum hodie & privilegia personalia & hypothecæ generales & tacitæ non attendantur, statim creditores classis primæ illi sequuntur secundum temporis ordinem, qui specialem hypothecam judicialem nocti sunt, ita tamen, ut unicuique ex fundo obligato satisfiat. *Ord. Proc. Sax. recogn. Tit. XLVI. §. 1.*

§. 49. Arrestum autem in foro.

Hodie non tribuit *Ord. Proc. Sax. recogn. Tit.*

XLVIII.

C 2

§. 51.

§: 51. *Tacita hypotheca.*

Hypothecas tacitas plane sustulit *Ord. Proc. Sax. rec. Tit. XLV. §. 1.* In terris vero Brandenburgicis etiam tacita hypothecæ libro *Hypothecarum consignandæ* sunt. *Ord. Reg. Boruss. §. 17.*

ibid. Liberis in bonis.

Ita & *Ord. Reg. Boruss. §. 182.*

ibid. Pupillo in bonis.

conf. *Ord. Reg. Boruss. de Hyp. & Conc. §. 2. 6. & 10.*
nec non 178. & Ord. Reg. de Tutoribus §. 34. In Electoratu Saxonie magistratui cuiusvis loci incumbit provide-re, ut pupillis, minoribus, absentibus &c. quando ipsis tu-tores vel curatores dantur, nec non liberis ratione bono-rum, quorum administratio penes patrem est in bonis immobiliis de certo quanto arbitrio judicis determi-nando judicialis hypotheca constituantur, in eamque con-sensus impertiatur. Si tutor bona immobilia sub jurisdi-ctione aliena possideat, expedituntur requisitoriales. Pla-ne immobiliis carentes tenentur ad cautionem fidejusfo-ribus præstandam, auctisque pupilli facultatibus quantum cautionis augetur. *O. P. Sax. recogn. Tit. XLV. §. 1.*

ibid. ecclesiæ, civitati.

Huc referuntur etiam Scholæ, stipendia, nosocomia, quibus in bonis administratorum æque ac debitorum ex contractu competit tacita hypotheca per *Ord. Reg. Boruss.*

§. 193.

§. 193. In Electoratu Saxoniæ de his piis causis ac fisci administratoribus idem tenendum, quod modo tutoribus & curatoribus diximus. *O. P. Sax. rec. Tit. XLV. §. 2.*

ibid. Locator habet.

Conf. *Ord. Reg. Boruss. §. 187.* In Electoratu Saxoniæ locator jus retentionis in rebus illatis exercet. *O. P. Sax. rec. Tit. LXV. §. 4.*

ibid. Legatarius habet.

Conf. *Ord. Reg. Boruss. §. 188.* In Electoratu Saxoniæ, si testamentum sit judiciale, legatario statim eo aperto a judece in bonis defuncti immobilibus hypotheca judicialis constituitur; in extrajudiciali heredes sub poena dupli intra tres menses a tempore aditæ hæreditatis id indicare, & legatario securitatem præstare tenentur. *O. P. Sax. rec. Tit. XLV. §. 4.*

ibid. uxor ratione paraphernalium.

Conf. *Ord. Reg. Boruss. §. 187.* In Saxonia nec paraphernalium nec dotis respectu hypotheca uxori competit. *Ord. Pr. S. rec. Tit. XLV. §. 4.*

ibid. Fiscus in bonis.

Non vero in Saxonia. *Ord. Pr. S. rec. Tit. XLV. §. 3.*
Ratione pœnarum tacitam hypothecam a tempore condemnationis fisco concedit *Ord. Reg. Boruss.* modo non confiscatio omnium bonorum fieri debeat, quo casu fiscus etiam post Chirographarios collocandus. §. 185.

c 3

ibid.

ibid. Liberi in bonis vitrici.

Conf. Ord. Reg. Boruss. de Hyp. & Conc. §. 179.

§. 52. Quamvis autem nonnulli alia.

Conf. tamen Ord. Reg. Boruss. §. 184. 186. & 189. seq.

§. 53. Filiabus ratione.

Imo in Saxonia nec illis competit Ord. P. Sax. recogn.

Tit. XLV. §. 6.

§. 54. Judicialiter immisit.

Conf. O. R. Boruss. §. 191. Ita & in Saxonia, ubi & executio jus reale tribuit, si a creditore ad evitandos sumtus pro facta habetur, idemque in judicio declaratur.

§. 56. Interdum creditor duplicem.

Conf. Ord. Reg. Boruss. §. 175. In Electoratu Saxonie generales hypothecæ plane omni effectu carent, creditori tamen integrum est curare, ut in duobus vel pluribus fundis hypotheca sibi constituatur, & consensus desuper impetratur. Quo casu in arbitrio ejus est, utrum ex una an ex utraque simul an successive satisfactionem suam quærere malit. Ord. Pr. Sax. Tit. XLIV. §. 1. 2.

§. 60. Quarta classis est eorum.

In hac quarta classe in terris Brandenburgicis locum inveniunt 1.) deponens re consumta, 2.) qui ad emendam rem immobilem crediderunt, 3.) qui pecuniam sine usuris crediderunt 4.) causæ alimentorum, 5.) cambia, 6.) sponsa, quæ ad nuptias instruendas, diluendaque debita & prosecuta

quenda negotia sponso quid erogavit, 7.) qui ad stabilem-
dum inventarium crediderunt, 8.) Medici & Chirurgi ra-
tione Sostri, 9.) Advocati, Notarii, qui lingvas, exercitia
&c. docuerint. Atque hi omnes veniunt in tributum.
O. R. Boruss. §. 193. seq. In Saxonia etiam hæc privilegia per-
sonalia non attenduntur, sed iis, qui nec ad primam classem
referuntur, nec pignus vel Hypothecam expressam, vel ante
morum concursum jusreale nacti sunt, absque discrimine
omnibus pro rata solvitur. *Ord. Proceſ. Sax. rec. Tit. XLIX.*

§. 61. nisi deponens usuras.

Deponens in eum casum, si depositarius pecunia uti
velit, usuras stipulatus allegatur ad Chirographarios. *Ord.*
Ord. Reg. Bor. §. 193.

§. 63. habeat privilegium.

Habet illud in terris Brandenburgicis *Ord. Reg. Boruss.*

§. 194.

§. 66. Clasfis creditorum.

Huc pertinent etiam, qui hypothecam habent priva-
tam. *O. Reg. Boruss. §. 202.*

§. 73. Jure Saxon.

Quid hodie obſervandum, *vid. Ord. Proc. Sax. Tit. XLVI.*
§. 3. & Tit. L. In terris Brandenburgicis usuræ tantum tri-
ennii proximi in easdem cum fortibus classes referuntur,
quæ amplius excrevere, postponuntur etiam Chirographa-
riis. Ceterum contra creditores extraneos pro re nata
locum habet jus retorsionis. *O. R. Bor. §. 127.*

AD

AD CAPUT VI.

§. 1. conceditur appellatio.

Ita & in Saxonia. Ast Leuteratio non conceditur, nec contra interlocutoriam ullum remedium locum habet.
Tit. XLI. Ord. P. S. rec. §. 5. conf. & O. R. Boruss. de Hyp. & Conc. 205. sqq.

§. 4. non tota suspenditur sententia.

Ita & *Ord. Reg. Boruss. §. 209.*

AD CAPUT VII.

§. 2. optimum erit, ut per.

Quid in taxatione observandum sit, præcipiunt. *O. R. Boruss. de Hyp. & Conc. §. 60. seqq. & Ord. Proc. Sax. rec. Tit. XXXIX. §. 11.*

ibid. novæ lites emergant.

Hinc quid de revisione taxæ tenendum sit, v. *O. R. Boruss. §. 63.*

§. 4. immobilia vero.

Modum subhastitutionis vid. *O. R. Boruss. §. 62. 64. seqq. & Ord. Proc. Sax. rec. Tit. XXXIX. §. 12. seqq.*

§. 17. Facultas reliundi.

Quibus conditionibus jus reliundi competit, disponunt. *Ord. Reg. Boruss. §. 72. seqq. & Ord. Proc. Sax. recogn. Tit. XXXIX. §. 19.*



Kg 852
S

KDAP



AD
RUNNEMANNI, JC.
filiar. Elect. Brandenb. & Facultatis
e in Universitate Francofurtana
ORDINARI
PROCESSUM
NCURSUS
DITORUM
OTATIONES
EX
ONE REGIA BORUSSICA
OTHECIS ET CONCURSU
NEC NON
EX
TIONE PROCESSUALI
ICO-ELECTORALI
RATA ET DECLARATA
CONGESTÆ.

ANCOFURTI ad VIADRUM,
GODOFREDUM CONRADI, 1736.